

vigilia Pasche consulibus pro temporibus constitutis solvendis me daturum, ita quod totus census dicti molendini annualis in septem talenta cum dimidio et viginti maldra annone dicte mensure tritici et siliginis vel mixture equivalentis cum ovencionibus predictis se extendit. Teneor eciam omnia edificia ad domum dicti molendini et in ipso molendino in lapidibus seu aliis quibuscumque necessaria cum purgacione meatus aque ac aliis quibuslibet necessariis ad ipsum molendinum pertinentibus sub expensis et laboribus meis propriis procurare, adiecto quod in quocunque termino dictorum solucionis terminorum, videlicet beati Michahelis, beati Martini, Nativitatis domini, Purificacionis beate Virginis vel aliis terminis inclusis circulo anni cuiuslibet partem census annone et denariorum tunc cedentem non solvero quod absit infra dies octo post talem terminum monicione premissa, extunc de dicto molendino et omnibus attinenciis ac de omni iure, quod in ipso habeo molendino, necnon de omni actione, que michi de iure vel de facto occasione eiusdem molendini contra consules et universitatem dicti opidi aut quemlibet alium competere posset vel deberet, renuncio in hiis scriptis non volens dictos consules vel universitatem aut aliquem alium ipsius molendini possessorem pro eodem molendino seu attinenciis, sicut iuratus tactis sanctorum reliquiis deposui, gravare querimoniis seu actionibus aut turbare. Et in certitudinem omnium predictorum has litteras sigillis .. domini prepositi pontis sepe dicti opidi et Tylonis de Bylstein procuravi consignari. Testes horum sunt dominus Conradus prepositus pontis, Thylo de Bylstein, Berthous de Byschoverade, Henricus et Henricus, Theodericus et Theodericus dicti Margarethe et plures alii fide digni. Nos vero Conradus prepositus claustrum pontis opidi sepe dicti et Tylo de Bylstein recognoscimus, quod Henricus de Arthern molendinarius predictus ad omnia predicta observanda se coram nobis obligavit et astrinxit, has litteras in testimonium huius nostris sigillis ob petitiones suas consignantes. Datum anno domini MCCCXVI°, septimo Kal. Iulii.

Or. im M. A., die beiden Sgl. wohlerhalten.

1316 Juli 14.

701.

*Agnes, Ehefrau des Johannes von Bodenstein, verzichtet vor dem Gericht zu Körner zu Gunsten des Klosters Volkenrode auf sechs Hufen zu Körner, welche ihr „Leibgedinge“ gebildet haben.*

Nos Tylo dictus Wolf iunior et Meynhardus iudices ville Cornre recognoscimus et in hiis scriptis publice protestamur, quod domina Agnes, domini Iohannis de Botenstein uxor legitima, coram nobis iudicio presidentibus in loco iudicii astitit et ibidem non coacta, sed voluntate bona renunciavit omni iuri dotalicii sui, quod lipgedinge vocatur, videlicet sex mansis in campis ville Cornre sitis, quos idem dominus Iohannes de Botenstein eidem Agneti sue uxori legitime dotis nomine contulerat, ipsaque bona iamdicta ad